

e Cap. 13. & 14.

Motis tandem castris de Sepulcris conspicientia populus venit in Cadesbarne; unde missi à Moyse in Chanaanidem exploratores (e). Illi ad castra regressi expeditionis discrimen & difficultatem adeo exaggerarunt, ut territus populus in seditionem abiret. Hunc motum compefcere, aequiora narrantes, frustra Josue & Caleb, ambo è numero exploratorum, conati sunt. Quare Deus resumpto iterum flagello, seditiosos dispersurus omnes videbatur, nisi Moyse precibus suis intercessisset. Audita hac Dei indignatione populus, seditione pacata, Dominum rogare, petere insuper ut in hostes duceretur. Serò tamen preces; prolata enim jam à Deo sententia omnes oppetenda in deserto morte spatio 40. annorum, quo errabundi per solitudinem deducendi erant, damnati sunt. Audaciores quidem aliqui per angustias aditum tentarunt in Chanaanidem sed ab incolis, loca superiora occupantibus, pulsati iter vertere coacti sunt. Spe igitur frustratus populus diurnam in Cadesbarne moram traxit, ubi sumptum credimus lapidationis supplicium de viro violatae religionis Sabbati, in lignis colligendis, reo (f).

f Cap. 15.

Erratum est diutius à populo in montibus Seir, variarumque in eo itinere mansionum nomina à Moyse accurate recensentur (g). Namque de Cadesbarne ventum est in Hazerot; succedunt deinde ordine Rechma, Remnon-Pharez, Lebna, Reffa, Ceelatha, mons Sepher, Adar vel Arad, Macelot, Tahat, Thare, Metca, Hefmona, Moserot, Bene-jacan, Gaddad, Jetebata, Hebronra, Elat, Afongaber, Cadesbarne iterum, Mosera, Salmona, Phunon, Obot, Jebarim, Torrens Zared, Mathana, Nahaliel, Bamoth Arnon in finibus Moab, & ditionis Sehon. Dum castra haberentur ad Jetebata, uti facile credimus, Core, Dathan & Abiron collatas Moyse & Aaroni supremae Reipublicae dignitates gravius ferentes, populi seditionem concitarunt, quam statim sumpta de authoribus gravissima poena, excepit. Hiscens enim subito terra Core ejusque socios absorbit; tum & delapso Coelitis igne ad 14700. virorum absorti sunt. Neque hic prodigiorum finis, sed Deus, quò Aaronis Sacerdotium ratum, etiam atque etiam maneret (h), iussit virgam ejus in Tabernaculo una cum cæteris Principum singularum Tribuum deponi, quam deinde manè alterius diei solam virentem & floribus ornatam exhibuit. Hæc 39. annorum spatio, quo Israelitæ per desertum errarunt. Traditis antea legibus, ad Religionem, Sacerdotes, & Politiam spectantes nonnullæ adjectæ sunt, de quibus in capp. 18. & 19.

g Num. 33.

h Cap. 17.

i Cap. 20.

In secunda castrametatione ad Cades Maria soror Moyse deceffit (i). Ibi etiam penuria aquarum laborans populus murmur in Ducem excitavit; quare Deus iussit Moysem silicem percudere, de qua statim aqua erupisset. Ille indignatione in populum tam insigniter infidelem commotus, de sive prodigii aliquantò subdubitare sili-

cem percutiens, visus est. Culpam poena sequuta est; namque & extra Terram Promissionis obeundum ipsi, & extra illam, sepulcrum ferendum eo uno de crimine fuit. Mox Aaron in castrametatione ad Mozeram in monte Hor, in finibus Idumæe diem clausit.

Sub hæc Moyse Regem Idumæe per nuncios rogaverat, ut liberam per regionem suam transitum in Chanaanidem, Hebræis faceret. Eo recusante, circumduci exercitum, ut ab altero latere aditus tentaretur, oportuit. Euntibus Arad Rex Chanaanæus hostis occurrit, commissoque prælio, inclinare primum Israelitæ, deinde resumptis viribus plenam de hostibus victoriam retulerunt; redactaque in potestatem regio, anathemati subiecta est (k).

k Cap. 21.

Hujus victoriae lætitiæ iustus excepit; nam pro infirmitate gentis indole ad murmur reversi Israelitæ, immixtis subito in castra serpentibus immedicabili morfu afflicti sunt. Salutare fuit, æneum anguis simulacrum, quod in hasta iussu Moyse erectum sanitatem respicientibus restituebat. Hæc in castris ad Salmona contigisse creduntur.

Cum ad torrentem Arnon pervenissent, rursus tentando in Chanaanidem transitu per regionem Amorrhæorum, nuntii ad Sehon Regem ejusdem gentis missi sunt. Ille non recusavit tantum, sed exercitum in Hebræos duxit. Victoria Israelitis fedit, atque victoriae pretium Regnum fuit. Commisum est etiam alterum prælium cum Og Rege Basan, eodem successu. Interim Rex Moab, ne quid simile sibi contingeret metuens, (quò & ipse transitum, Israelitis negaverat) Balaam celebratissimum Præstigiatorum de Mesopotamia accivit [*]. Sed ille veniens pro maledictis fausta omnia in populum apprecari coactus est.

a Exod. 5. 6.

b Exod. 3. 16.

Magus hæc sibi invito accidisse, simulque & itineris labore, & expectatione præmiorum, quæ sibi à Rege Moab sperare poterat, frustratum se dolens, perniciosum in Israelitas, quin & Regem ipsum, atque in se tandem malum authorem consilium eidem Regi suggessit. Persuasit enim, ut missis ex Madian & Moab in castra hostium puellis, ad idololatram illos & scortationem pelliceret. Res pro voto successisset, nisi gliscens jam inter Hebræos malum, Levitarum zelus in eadem scortantium irruens repressisset. Eâ occasione ad 24000. virorum trucidata sunt (l). Iussit deinde Deus bellum inferri Madianitis, quod tamen usque post peractum non diu post populi censum (m), dilatatum est. Constituta etiam à Moyse leges pro dirigenda hereditate puellarum, quæ patre sine maribus decedente, in bona paterna successissent, quemadmodum & puellis Salphaad tunc accidisse constabat. Constituta quaedam pro Festis, Sacris, Votis &c.

l Cap. 25.

m Cap. 26.

Tandem ad prælium cum Madianitis, quod postremum fuit omnium sub Moyse gestorum, processum est. Ex hostibus numero,

no, qui in potestatem Hebræorum veniret, servatus est, exceptis puellis innuptis; eodemque cum cæteris fato Balaam sublatus. Tota regio inter Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manasse distributa; eâ tamen conditione ut fratribus suis in expeditione Chanaanitidis suppetias latari venirent [*]. Cum Moyse denegari sibi à Deo Jordanis transitum comperito novisset, divisioni Chanaanitidis, latis edictis, antea providit; addito simul mandato, tum ut nemini Chananæorum parceretur, cum

* cap. 31.

ut fors de singulis portionibus distribuendæ regionis decerneret. Iussit insuper preparari Urbes in Levitarum sedem, ex quibus aliqua jure asyli pro iis qui imprudentes hominem interemissent, sacræ haberentur. Interdicta tandem connubiâ illa, quibus distributiones agrorum per singulas Tribus turbarentur. Hæc Libri Numerorum summa.

Hunc Librum digestum à Moyse credunt sub vitæ suæ exitum, ex Ephemericibus à se antea pro data occasione scriptis.

DISSERTATIO

DE POLITIA SIVE RATIONE JURIS dicundi apud Hebræos & potissimum de Sanhedrio.

Reipublicæ Hebræorum constitutæ crepundia ex lata à Deo in Monte Sinai Lege, susceptoque à Moyse populi regimine, ac tandem investâ ad normam Divinarum Legum politia repetenda sunt. Frustra enim in populo, dum in Ægypto versabatur, certam politiam, certosque Judices Israelitas pleno jure regnantes exquiramus: quos enim operibus fratrum præpositos (a), sive quos Seniores appellatos (b) in Scriptura novimus, iis spontè quidem populum paruisse, nullam tamen eos cogendi habuisse authoritatem, planum est. Moyse omnium primus plenum in populum suum jus supremæque authoritatem obtinuit. Solus omnia Reipublicæ onera sustinuit, donec monente Jethro socio suo, in partem laboris Selectos ex fratribus accivit. Consulatissimus enim ille Senex animadvertens unicum virum juris dicundi inter populum majus ferre pondus quam sustineri posset, selectos sibi viros ut adsciret Moyse author fuit (c). Ejus igitur consilia sequutus Moyse (d): *Electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios & Decanos, qui judicabant plebem omni tempore.* Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes.

c Num. 11. 16.

d Exod. 18. 25.

26.

Hæc politia parum mansit; ab adventu scilicet Jethro in castra Israelitarum, paulò ante quam Israelitæ de Cadesbarne moverent, usque ad castrametationem ad Sepulcrum concupiscentiæ, quò tridui itinere de monte Sinai populus venit. Ibi enim, Deus Senatui septuaginta virorum selegit, quos Divini Spiritus illapsu instructos Moyse assignavit adjuutores. Ibi Sanhedrii Defensores prima constituti illius celebra-

tissimi Senatûs, de quo nos infra fufus, fundamenta collocant. En igitur Senatus 70. Senioribus constitutus, cui Moyse præset, omnesque simul pro eo, quem à Deo habuerant, prophetiæ spiritu jura populo dabant. Mansit tamen simul constituta auctore Jethro antea politia; quibus Judicibus collatam credimus authoritatem dirigendi res civiles, ad politiam & militiam pertinentes; quemadmodum & judicia omnia ad Senatum septuaginta deferebantur; exceptis tamen causis gravioribus, de quibus Moyse ipse cognoscebat. Maluit tamen Rabini, nec injuria fortasse, hoc septuaginta Seniores ex ipso Judicum sub Jethro constituto numero fuisse.

Ita constituta res toto itineris per desertum spatio scilicet 39. annis circiter obtinuerunt. Nec sanè aptior alia politia invehi potuisset, imò vix aliter deducendus videbatur populus, qui in anuum veluti cœtum coalescens, ambulantis Civitatis speciem referebat. Cœtus faciles erant & communes, litium pars maxima, quòd agrorum & latifundiorum divisio nulla esset, succisa; quare parvus Judicum numerus totam Rempublicam facile administrabat.

Verùm cautè reputans Legislator futurum, ut in Terra Promissionis ea politia ratio haberetur incommoda, iussit constitui in singulis Urbibus Judices & Magistratus (e) pro causis civium cognoscendis, ita tamen, ut si quid gravius emerisset, illud ad locum à Domino selectum, deferretur, Sacerdoti de familia Aaron, penès quem tunc temporis supræma esset authoritas, judicandum: hujus autem judicio non acquievisse capitale decrevit (f). Ailbi etiam cavet, si homicidium aliquod, cujus author lateat, commissum deprehendatur, acciri statim Sacerdotes,

e Deut. 16. 18. Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis.

f Deut. 17. 8. Si difficile & ambiguum

M

ad

apud te Judi-
eii esse perspe-
xeris. Et Judi-
cum intra
portas tuas vi-
deris verba va-
riari: surge,
Et ascende ad
locum, quem
elegerit Domi-
nus Deus tuus,
veniesque ad
Sacerdotes Le-
viti generis,
Et ad Judicem,
qui fuerit eo
tempore, qua-
resque ab eis,
qui judicabunt
tibi iudicii ve-
ritatem.
Qui autem su-
perbierit, no-
lens obedire
Sacerdotis im-
perio, qui eo
tempore mini-
strat Domino
Deo tuo, Et de-
creto Judicis,
moriatur homo
ille.

§ Antiq. l. 10.
c. ult. cont.

h Cont. Appion.
l. 2. c. 6.

I Idem eod. Lib.
c. 12. c. 6.
c. 12. c. 6.

ad quos attinet (Deut. 21. 9.) omne negotium
& quicquid mundum vel immundum est
(Hebr. omnis causa, & omnis plaga): ab illis
verò, adhibitis etiam Senioribus vicinioris
Urbs, crimen expiandum, tum & ira
Dei à populo avertenda. Eadem Sacerdo-
tum judicialis auctoritas asseritur etiam
Deut. 19. 16. Si steterit testis mendax con-
tra hominem, accusans eum pravariationis,
stabit ambo, quorum causa est, ante Do-
minum in conspectu Sacerdotum & Judicem
qui fuerint in diebus illis; eumque dili-
gentissimè perscrutantes invenerint falsum
testem dixisse contra fratrem suum, men-
dacium reddent ei, sicut fratri suo facere
cogitavit. Paraphrases Santesanas, cujus in-
terpretationes maximè sunt inter Rabbinos
ponderis, verba illa Deut. 23. 9. 10. Qui di-
xit patri suo, & matri suæ: Nescio vos,
explicat de Sacerdotibus, qui in causis ju-
dicandis rectam iudicii lancem tenent, ut
solam respiciant veritatem, & æquitatem,
nihilque in carnem & sanguinem inclinènt;
quæ sanè interpretatio ex subsequenti ver-
iculo confirmatur, cum de filiis Levi ser-
mo est, qui servaverunt, ait Moyses, ju-
dicia tua d' Jacob, & legem tuam d' Israël.
In eandem ideam loquitur Ezechiel 44. 24.
Cum fuerit controversia, stabit in iudiciis
meis, & judicabunt. Leges meas & præcepta
mea in omnibus solemnitatibus meis custo-
diant. Samaritani in sua ad Scaligerum.
Epistola testantur summam apud se auctori-
tatem esse penès Summum Sacerdotem, ad
cujus iudicium undique ex Urbibus conve-
nient. Ita porro ille populum iudicat,
ut vel in ipsas cogitationes ferat senten-
tiam; omnia ad ejus nutum terminantur;
felicem profectò qui Sacerdotis illius dicto
audiens est; infelicem, qui jubentem con-
temnit. Is igitur rerum Judaicarum status
fuit, cum pax & Religio in tranquillo man-
serunt.
Nec sanè aliter Legislatoris mentem Jo-
sephus interpretatus est, tradens constitui-
tos ab illo in singulis Urbibus septem Ju-
dices, qui adhibitis duobus Levitis jus ci-
vibus dicerent. Majoris tamen indaginis
causa, ait, ad Urbem à Domino selectam,
Summo Sacerdoti, Prophetæ, & Senatui
cognoscenda deferebantur [g]. Ipsi pari-
ter Regi inconsultis Summo Sacerdote &
Senatu nihil agere fas erat. Atque in Opere
contra Appionem, de politia Hebræorum
agens (h), nullam constitui unquam posse ait
Politiam neque æquiorè neque sanctio-
rem, quam quæ Deum authorem habet su-
premum rerum arbitrum. Deus autem iste
magnus omnibus simul Sacerdotibus rerum
sacrarum majoris momenti administratio-
nem reliquit; auctoritatem in reliquis
res omnes penès Summum Sacerdotem esse
disposuit. Horum igitur curæ datur, addit
Josephus, ut Legis sanctiones & disci-
plina ratio salvæ perseverent & integræ;
de controversiis ita judicant, ut & ani-
madvertendi in fontes jus habeant. Quid
igitur sanctius, quàm Hebræorum politia?
Itaque ex Josephi sententiâ (i) Judæo-
rum Respublica neque ad Monarchiam,
neque ad Democratiam referebatur, sed

genus quoddam politicæ constituebat, quod
Deum habens supremum arbitrum, Theo-
cratia jure rectèque appellaretur. Nec sanè
Sacerdotes alique primores Judices
aliter de causis cognoscebant, quàm delegatâ
sibi à Deo auctoritate; ejusque veluti Tri-
bunali assidentes, coram Arca & in loco à
Deo selecto iudicia ferebant. In causis dis-
cutiendis Legum oracula consulabantur;
nec rarò Judices Divinitus inspirati sen-
tentias, tanquam è tripode, proferebant;
quin & in causis gravioribus Summus Sa-
cerdos non prius iudicabat, quàm Urim &
Tummim ferens, à Deo edoceretur. Por-
rò, ait Josephus (k), Summo Sacerdo-
ti potissimùm incumberebat Leges sertas
tectas servare, dijudicare de controver-
siis, atque reos sententiâ damnatos punire;
quicumque Sacerdoti parere recusasset,
in eum tanquam læsæ majestatis Divinæ
ultimo supplicio animadvertebatur.
Ad hanc politicæ normam Hebræorum
Respublicam nunquam non reformandam
curarunt viri illi religiosi, qui hanc pro-
vinciam identidem susceperunt. Quare si
non adeò constans ejus successio in Histo-
ria populi appareat, in causa fuisse cre-
dendum est, quòd nec Judices neque Prin-
cipes recti semper tenaces apud illos re-
gnarunt, ac segnior quandoque populus
Religionis suæ exercitium negligeret, ac
tandem bellis non rarò regio turbaretur.
Qui enim e. g. fieret, ut Leges & judi-
cia ordine à Legislatore præscripto ser-
varentur inter persecutiones & captivita-
tes, quæ Judicibus regnantibus malorum
successione quadam populum opprimebant?
Satisne religionis ad Leges servandas in
populo fuisse crederetur, dum eoque
irreligionis processerat, ut in scelera om-
nia & idololatriam prolaberetur? Frustra
quis in ea rerum turbatione Legum tran-
quillum constantemque statum requirit;
satisque erit ad intentum, si pro vario po-
puli in religionem studio, exactior modò,
remissor aliquando ejus politicæ ratio ob-
tinuisse videatur.
Post obitum Moysis, Josue rerum poti-
tus constitutam à Deceffore Reipublice
formam in Chanaanitide statim invhere
non potuit. Prius enim sub iugum mitten-
da regio fuerat, deinde in Tribus dividen-
da. Nec post eam inductam divisionem,
pactamque provinciam diutius Josue super-
vixit. Sub eo Duce, cui ad sapientiam
ac religionis studium nihil fuit reliqui,
leges & politia Hebræorum floruerunt.
Antequam is rerum status constitui po-
tuisset, ipse Josue eum Summo Sacerdo-
te, & Senioribus Israël Respublicam ad-
ministrabant. Hinc populus universus,
quemadmodum olim in verba Moysis, ita
post ejus obitum in verba Josue juravit,
(l) ejusque imperium detrectasse capitale
fuisse scribit. Seniores populi una cum
Josue foedus cum Gabaonitis strinxerunt
(m). Ipse Josue unâ cum Eleazaro Summo
Sacerdote divisioni Chanaanitidis per se-
lectos singularum Tribuum viros sacre
præerant (n); ac tandem etate jam affe-
ctâ Josue omnem Israël, majoresque na-

k Ibid.

I Josu. 1. 10. 16.
17.
m Josu. 9. 15.
n Josu. 14. 1. 2.

o Josu. 23. 2. & 24. 1.

na, & Principes, ac Duces, & Magistras
in concionem vocavit (o); i. e. Judices
& Magistras ex Moyse præscripto in-
regione constitutos accerens, foedus inter
Dominum & Israëllem innovavit.
Ordinatè à Josue Reipublice politia tan-
diu mansit, donec Israëlites omni jugo
Principatus excusso in fuesitam illam anar-
chiam devenissent, quæ & altam Divina-
rum Legum oblivionem induxit, & variis
captivitatibus, sub variis identidem popu-
lis, miserimam gentem oppressit. Læcis
tristitia vicissim successerunt pro modo cri-
minum, & respicientiæ, quibus Deus si-
vè ad veniam, si vè ad ultionem excita-
batur. In tanta rerum vicissitudine vix
fieri posset, ut exacta quadam politicæ
ratio apud Hebræos spectaretur. Injuria
in uxorem Levitæ irrogatè historia, quem-
admodum & belli per eandem occasionem
cum Tribu Benjamin gesti, ideam ingerit
populi, qui nullo quàm voluntatis sin-
guli suæ arbitrio regebantur. Eiusdem
etiam rei argumentum est historia Michæ,
& Danitarum transmigratio; cujus occasio-
ne monet Scriptura, eâ atate singulos suæ
voluntatis arbitrium sectatos, ac neminem
in Israëllem Regem constitutum fuisse.
Judices à Deo pro data occasione iden-
titem excitati, non ita populum modera-
bantur, ut dispoticam si vè in iudiciis,
si vè in populum universum auctoritatem
obtinerent. In ea tantum regionis parte,
quam à jugo servitutis relevaverant, prin-
cipatum gerebant; cum interim ceteri
si vè aliis fervirent, si vè suo regebantur ar-
bitrio. Fateamur etiam oportet, nos
regiminis eorum rationem latere rem, ni-
hilque habere exploratum eorum, quæ ad
iudicium auctoritatem & iudicandi Is-
raëlis politiam pertinerent. Major politi-
cæ gubernationis, & constantior ratio sub
Samuele animadvertitur. Iudicavit vir il-
le populum universum 20. annis; quotan-
nis totam discurrebat provinciam, atque
tribunali in Bethel, Galgalis, & Masphat
erecto, de causis cognoscebat (p). Porro
in iudiciis præscriptus à Moysè ordo tunc
servabatur. Seniores, & Judices populi in
causis majoris momenti Samuelem conve-
nisse leguntur (q); Prophetæ in nomine
Domini sententias pronuntiabant. Cum af-
fectæ jam ætatis fuisset, filios suos iudices
constituit in Bersabee; sed rectè minus te-
naces juvenes adeò Seniorum Israël an-
imum offenderunt, ut de constituendo sibi
Rege cogitare ceptum sit [r]. Rei gestæ
historia explorata est.
Tunc constituta à Moysè politia omnis
eversa est. Norat tamen providus ille Le-
gislator, Hebræorum animos tandem in
Regem inclinatos, nonnullasque etiam
leges Regi scripserat. Verùm si vè ille le-
ges ad politiam constituendam frustra cre-
deret futuras, cum Reges pro arbitrio om-
nia disponant, si vè Deus præcepta eâ de
re sua daturum sibi reservavit, quòd sanè
in electione Saulis ore Samuelis præ-
stitit; si vè tandem Moyses politiam à se
constitutam cum auctoritate & dispoti-
co Regum imperio consistare posse crede-
ret. Calmet. Tom. I.

ret, nihil sanè in eam rem peculiare san-
civit. Saul verò ad Regnum evehctus ni-
hil nisi res bellicas curasse videtur, cæte-
ra Judicibus & Sacerdotibus, quemadmo-
dum & ante Regem constitutum fieri sole-
bat, reservata sunt. Samuel quo tempo-
re in vivis mansit, tum à populo univer-
so, cum à Rege ipso semper obiervatus est,
summoque in honore habitus, tanquam
Propheta Domini, & consiliorum ipsius
interpres; quæ viro auctoritas usque ad
inunctum Davidem mansit.
David vix rerum potitus, pacatoque à
bellis Regno, nihil antiquus habuit, quàm
ut per seipsum de causis populi cognosce-
ret. Ipsa narrante Scripturâ (s) scimus,
Absalomum ejus filium Regnum affectan-
tem (t) præ aula januis quotidie conse-
disse, ubi singulos ad Regis tribunal veni-
entes alloquens, de eorum negotiis sci-
ficabatur, tum æqua eos postulare dice-
bat; sed addebat, (u) non est, qui te audiat
constitutus à Rege. Quis me constituat iudi-
cem super terram, ut ad me veniant omnes
qui habent negotium, & jussit iudicem?
Joab, adhibita foemina Thecuite, veniam
pro Absalomo, occisi fratris reo, à Davi-
de postulavit; mulier autem illa aliquid
se à Rege pro filio suo, quem subitâ obor-
ta atrocitate fratrem occidisse dicebat,
impetratura simulans, coram illo stetit.
Salomon patris exemplum secutus, pro-
foribus aulae ius dicebat. Extat in Libris
Saceris constructi ab ipso throni descriptio
(x); tum narratur sagacitas in iudicio
ferendo in nota illa duarum foeminarum
altercatione, mutuo sese de occiso alter-
utrius filio accusantium (y). Legimus
etiam Regem ipsum Gabaon se contulisse *
comitantibus Principibus, Centurionibus,
aliisque Ducibus populi, aedque & omni-
bus, qui juxta Moysis leges in singulis
Urbibus constituti fuerant. Erant apud Sa-
lomonomem à consiliis Seniores & sapientis-
simi quamplures viri, qui post eius obi-
tum prudens Roboamo consilium suggeste-
runt, quod præposterè ab ipso negle-
ctum (z) est.
Diviso Tribuum Principatu, decem-
ex Tribubus Jeroboami partes secutus,
sicuti res omnes, ita & politiam Israël
vehementer turbati contigit. Impius ille
Rex tunc demum rebus suis consulendum
se ratus, si omnem Religionem subverte-
ret, nihil etiam integrum reservavit eo-
rum, quæ Moyses constituerat. Quare tra-
ditionem & constantem veram disciplinam
& politiam successione non nisi in Regno
Juda deinceps scrutari oportet.
Cum Josaphat ditionem suam reforma-
re statuisset, non aliam sibi proposuit nor-
mam, quàm politiam à Moysè præscri-
ptam (a): Constituit Judices terra in cun-
ctis Civitatibus Juda. . . & præcipiens
Judicibus: Sit timor Domini vobiscum, &
cum diligentia cuncta facite; non est enim
apud Dominum Deum nostrum iniquitas,
nec personarum acceptio, nec cupido mune-
rum. In Jerusalem quoque constituit Levi-
tas, & Sacerdotes, & Principes familia-
rum (duo scilicet tribunalia, alterum ex
M 2 Sa.

s Ibid.

t Reg. 14. 7.

u 2. Reg. 15. 3.

x 3. Reg. 10. 18.
19.
y Reg. 3. 16.
&c.
* Par. 1. 2.

z 3. Reg. 12. 6. &c.

a 2. Par. 19. 5.